



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Ostium per quod ad speculum animæ paret ingressus: & facilis ad  
perfectionem aditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

IN NOMINE  
PATRIS, ET FILII,  
ET SPIRITVS SANCTI,  
AMEN.

*Ostium per quod patet ingressus ad  
speculum anime, & facilis ad perfe-  
ctionem aditus.*

**D**IXI confitebor aduersum me *Psal. 31.*  
*iniustitiam meam Domino: & Anima incli-*  
*ta remisisti impietatem peccati pie illumi-*  
*naui.*

Vbi es misera & infoelix anima  
mea? Quis iste labyrinthus in quo ob-  
erras? Quæ iste sordes & immunditiæ  
quibus immerfa iaces?

Exurge misera. Expergiscere de  
peccati somno: Surge & exurge à mor-  
tuis, & illuminabit te Christus. Relinque  
densissimas peccatorum tenebras, qui-  
bus circumfusa es, & reuertere ad Do-  
minum Deum tuum, quem nimis im-  
pudenter ac nefariè offendisti.

Surge velociter; confringe compe-  
des & catenas scelerum quibus vin-  
cta es; dirumpe funes & vincula pec-  
catorum

2. Par. 36-

catorum, quibus constricta teneris, & conuertere ad Dominū Deum tuum, qui benignus ad penitentiam te expectat, & peritet super malicias hominum. Surge igitur, de admissis criminibus. dolorem concipe, veniam eorum à Deo clementissimo humili prece efflagita, & prima oportunitate omnes animæ tuę maculas integrè sacerdoti patefac, & explica; sicque per Confessionis Sacramentum abluta & perpurgata, si ad sublimiorem perfectionis gradum ascendere atque à Christo illuminari cupis, infra scriptum exercitium quotidie exerce, illud namque ostij vice tibi erit, quo ad perfectionem ingrediaris.

*Instruitur anima quid agere debeas.*

*Ostium primum. per quod ad perfectionem facile peruenitur.*

*Exercitium nocturno tempore excendendum.*

**R**E C I P E te anima mea, postquam Confessionis Sacramento ab omnibus scelerum maculis emundata fueris, per singulas noctes in locum aliquem solitarium, & ab hominum tumultu & strepitu semotum, atque inibi profundissimo noctis silentio.